Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/eduardicorsinicl00cors

EDUARDI CORSINI

CLERICOR. REGULAR. SCHOLARUM PIARUM

EXGENERALIS,

Et in Piſana Univerſitate Primarii Lectoris

AD


JOANNEM CHRYSOSTOMUM TROMBELLIUM

CANONICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS S. SALVATORIS

EXGENERALEM,

Et S. Salvatoris Bononiæ Abbatem.

EPISTOLA.



BONONIÆ MDCCLXVI.

Ex Typographia LONGHI. *Superiorum permiſſu.*

ILLUSTRISSIMO, AC CLARISSIMO VIRO

FRANCISCO COMITI RONCALLIO PAROLINO

S. P. D.

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI.

VIri litteratiſſimi, itemque humaniſſimi, meique amantiſſimi Eduardi Corſini eruditiſſimam, atque elaboratiſſimam Epiſtolam tuo dicatam nomini, ad te, Franciſce Comes mitto, Virum ſcilicet egregie doctum, mihique in primis amicum minime dubitans, quin tibi, qui Doctorum Virorum labores recte expendis, & veteres nummos pro merito æſtimas, Epiſtola hæc acceptiſſima futura ſit. Vale Roncalli Paroline Optime, meque, quod facis, ama.

QUamvis in contrectandis, explicandiſque Veterum nummis optandum maxime ſit, ut integri, probeque conſervati illi ſint, ideoque de ipſorum epigraphe, ſymbolis, inſculptaque imagine dubitari non poſſit; ingenue tamen fatendum eſt, quod uberior aliquando voluptas ex nummis aliis exoritur, qui obſcuriores fortaſſe fuerint, ut accurata ipſorum cognitio nonniſi ex fortuita, & inſperata quadam aliorum comparatione nobis affulgeat. Etenim, ſi perſpicui, ac indubii illi ſint, mediocris certè laudis ſpes, ac voluptas in explicandis illis haberi poterit, ſin verò magis evanidi, laceri, temporumque injuria labefactati illi ſint, non ſine maximo lætitiæ ſenſu ipſorum explicatio nobis occurrit: ubi tamen perſpicuo quodam, certoque charactere deprehendi poſſit, ad quam urbem referri illi debeant, & cujus imagine decorentur.

Id optimo profectò jure de incognito, & ſingulari nummo uſurpari poſſe putaverim, quem mihi pro veteri humanitate in me tua, Trombelli doctiſſime, nuper inſpiciendum, & explicandum conceſſiſti. Etenim antica nummi pars, ut inde exordiar, Mulieris caput ſiniſtrorſum converſum, comptis capillis ornatum exhibet; & quamvis effigies, aut accurata vultus lineamenta vi ignis maxime vitiata ſint, ideoque inſculpta effigies ambigua, & incerta videatur, perſpicuè tamen ab Auguſtarum aliarum vultibus, qui notiſſimi planè ſunt, omnino differunt, atque uni *Liviæ Auguſtæ* conveniunt. Epigraphem verò in nummi gyro, vel ambitu inſcriptam fuiſſe, atque in ſiniſtra ipſius parte vocem hanc ΣΕΒΑΣΤΗ exaratam fuiſſe, ex ſuperſtitibus characterum laciniis conſpicimus, cum dextera, ſive præcedens epigraphes portio breviorem aliam, ſed obſcuriorem vocem, aut breviſſimum Auguſtæ nomen contineat, in qua evanidis, & corroſis characteribus ΙΟΥΛΙΑ, ſeu ΛΙΒΙΑ exprimatur. Itaque non immeritò ex variis conjecturis iſtis, aut indiciis una conjunctis exiſtimo, miſeram hanc nummi faciem ad *Liviam Auguſtam* Auguſti Cæſaris conjugem referendam eſſe: cum certè ſuperſtites literarum ductus alterius Auguſtæ nomen, vel alterius Auguſtæ effigiem vix admittere poſſe videantur.

Quod ſi in principe nummi facie explicanda conjecturis ſolum indulgeo, mihique ipſi diffidens *Liviæ Auguſtæ* nomen, & vultum hic profero, longe tamen alacrior in deſcribenda adverſa nummi facie, & definienda nummi patria progredior. Itaque in hac galeata Pallas ſiniſtrorſum gra-

 diens

diens conſpicitur, quæ dextram elatam tenet, ſiniſtra extenſa quidpiam obſcurum, et fortaſſe coronam, aut victoriolam ſuſtinet, et clypeum prope ſiniſtrum pedem exhibet. Quamvis autem in exeſo nummo Urbis nomen evanuerit, in qua nummus ipſe cuſus fuit, ideoque primo nummi conſpectu animum fere deſponderim, parumque abfuerit quin ipſum veluti obſcuriſſimum, ac pene deſperatum abjecerim; repente tamen deprehendiſſe videor ipſum ad Athenienſem Urbem referri oportere:

A

ſiquidem in area ſiniſtra characterum Θ E veſtigia reperiuntur, quibus Athenienſium Urbs indicatur, et in areæ medio verſibus tranſverſim, et horizontaliter exaratis perſpicue, certoque legitur

ANTIOXOΣ

OKAPAIKOΣ

ΣKΥMNOΣ

Itaque, cum hæc ipſa trium Magiſtratuum, vel Monetariorum nomina eodem prorſus ordine diſpoſita in quinque indubiis Athenienſium nummis exprimantur, quis apertè non videat quod hic etiam nummus illorum inſtar ad Athenienſes ipſos referri, eodemque tempore cuſus cenſeri debet?

Etenim Lazius in *Græcia antiqua* (*a*) nummum exhibet, in cujùs adverſa parte perſpicuè legitur AΘE. ANTIOKOΣ. OKAPAIKOΣ. ΣEMNOΣ. In Golzio numero 15. nummus habetur cum epigraphe AΘE. ANTIOXOΣ. KAPAIKOΣ. ΣKΥMNOΣ, idemque nummus a Cupero (*b*) quoque profertur, et omnino ſimilem Stoſchius ex Muſeo ſuo deſcripſerat: quamvis in illo exſcriptoris vitio KAPAKOΣ ΣKΥHNOΣ exprimatur. Goltzius ipſe num. 14. nummum alium ediderat cum epigraphe AΘE. ANTIOX. KAP. BP. ubi nummorum aliorum præſidio reſcribendum arbitror KAP. ΣK. cum facilè characteres BP pro characteribus aliis ΣK irrepſiſſe potuerint. Denique apud Meurſium inter Athenienſium nummos Tom. I. col. 13. num. 22. legitur

ANTI OXOΣ

KAPA

IXOΣ

OΣKΥ

MNO

Σ

Cum ergo conſtanter adeo hæc tria, ac inſueta illa quidem, Magiſtratuum nomina in quinque Athenienſium nummis occurrant, quis ambigere,

(a) *Lib. II. c. 2.* (b) *De Eleph. Lib. I. c. 9.*

gere, vel dubitare umquam poterit quin nummus ille, in quo prorſus eadem nomina reperiuntur, quamvis Athenienſis Urbis nomen evanidum ſit, ad Athenienſium Urbem referri debeat? Certe ubi tria hæc nomina, quæ mihi memoriæ inhæſerant; ubi nummos illos in Faſtis Atticis (*a*) indicavi, in noſtro nummo conſpexiſſem, non modo repentè conjeci ipſum ad Athenas ſpectare, verum etiam cum a te, Trombelli doctiſſime, accepiſſem dubitaſſe quempiam de nummi (qui procul dubio cuſus eſt,) ſinceritate, ipſum verè antiquum, et ſinceri commatis esſe demonſtravi. Etenim ſi fortaſſe fictus, vel adulterinus eſſet, qui fieri, vel explicari umquam poſſet, ut tria, et quidem infrequentia, Magiſtratuum nomina, quæ in ſolis Athenienſium nummis habentur, inſcripta fuerint? Id fortaſſe quidem ſuſpicari liceret, ſi integrum Athenienſis nummi typarium, aut integra adverſa ejus pars, ut in adulterinis contingit, expreſſa videretur, at adverſæ partis imago, quæ in noſtro nummo conſpicitur, ab iis omnino differt, quæ in quinque illis Athenienſium nummis reperitur; ideoque nulla ſuſpicionis occaſio, vel cauſſa effingi poteſt. Perſpicua verò, & admirabilis hæc nominum conſpiratio manifeſtè demonſtrat, quod etiam alii Athenienſium nummi *Liviæ Auguſtæ* temporibus cuſi ſunt, ex quo fortaſſe plura ad nummos ipſos ſpectantia deprehendi poſſent. Itaque, ut omnia verbo complectar, ſingularis hic nummus non alteri, quam Athenienſium Urbi adſcribi debet; nihilque veriſimilius admitti poteſt, quam *Liviæ Auguſtæ* vultum in illo expreſſum fuiſſe; quemadmodum in Liviæ honorem ab Alabandenſibus, Antiochenis, aliiſque Græcis Urbibus nummos cuſos eſſe conſpicimus. Sic in duobus Ægyptiis nummis Liviæ vultus ſine epigraphe reperitur; ac in adverſa parte Mulier galeata ſtans, quæ dextra victoriolam tenet, ac ſiniſtra clypeo innititur, quorum uni character L. M, hoc eſt *Annus* 40., alteri L. MA, ſive 41. inſcribitur (*b*).

Quis verò conjicere, vel definire nunc poſſit, quo potius anno nummus ille percuſſus fuerit, cum nulla propemodum lux ex hiſtoricis hac in parte nobis affulgeat? Optimè quidem novi quod Anno U. C. 724. Cæſar Auguſtus parta jam ad Actium victoria Athenas conceſſit, (*c*) ibique Eleuſiniis Myſteriis initiatus fuit; cumque poſt hyemem in Samo traductam, Athenas iterum rediiſſet, ipſi templum ab Athenienſibus excitatum, dicatumque fuit: (*d*) quamvis illud Minervæ *Poliadis*, et *Archegetidis*, Deæque Romæ nomen præferret. Non facilè verò dixerim, an ad Auguſti viventis, ſive potius ad mortui, conſecratique tempora referri debeat Athenienſium nummus, in cujus antica parte radiatum Auguſti caput conſpicitur cum epigraphe ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ *Divi Auguſti*, atque in adverſa templum octaſtylum cum vocibus ΚΟΙΝΟΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ *Commune Athenienſium*: (*e*) quo exprimebatur templum

ipſi

[a] *Tom. II. pag.* 267. (b) *Muſ. Theu. pag.* 1098. (c) *Dio. Lib. LI. c.* 4. *pag.* 635. *edit. Reimar.* (d) *Vid. Faſt. Attic. Tom. IV. pag.* 140. (e) *Geſn. Tab. xxvii. n.* 5.

ipſi publico, communique Athenienſium ſumptu dicatum fuiſſe. Itaque facilè Athenienſes ipſi, ut majorem Auguſti gratiam, atque amorem ſibi conciliarent, tunc nummum Liviæ vultu inſignem cudi curarunt, eamque *Auguſtam* vocarunt; quemadmodum honores, ac Sacerdotes etiam non Auguſto ſolum, ſed ipſi quoque Liviæ tunc inſtitutos eſſe putaverim. Quamvis enim alibi (*a*) Athenienſe marmor, in quo Iraeneus quidam Ἱερεὺς Θεοῦ, καὶ Θεᾶς *Sacerdos Dei, & Deæ* nominatur, de *Deo Auguſto, Deaque Roma* intelligendum eſſe conjecerim, nunc veriſimilius exiſtimo marmor ipſum de *Auguſto Deo, Deaque Livia* explicandum eſſe; cum in pluribus certè nummis Livia ipſa ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ, ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Dea Livia, Dea Auguſta* vocetur, communique nomine Auguſtus ipſe cum Livia ΣΕΒΑΣΤΟΙ *Auguſti* dicantur. Inſuper etiam Athenis Antoniæ Auguſtæ Sacerdotes, ac Pontifex Maximus inſtituti mox fuerunt; ac Athenienſis populus Γαΐον Καίσαρα Σεβαστοῦ υἱὸν νέον Ἄρη *Cajum Cæſarem Auguſti filium novum Martem* vocarunt; (*b*) ideoque nihil veriſimilius admitti poteſt, quam Athenienſes ipſos, populorum aliorum inſtar, Auguſtæ Liviæ cœleſtes has religiones decreviſſe.

Illud unum huic opinioni, quod Auguſto adhuc vivente Liviæ nummus editus fuerit, opponi poſſe conſpicio, quod Livia ipſa in epigraphe ΣΕΒΑΣΤΗ, vel *Auguſta* vocatur; titulus autem ille, ſimulque *Juliæ* nomen poſt Auguſti conjugis mortem a Senatu, ſive Tiberio, ipſi conceſſum exiſtimatur.

Certè perſpicuo Dionis (*c*) teſtimonio erudimur quod Romani Auguſto e vivis ſublato divinos honores ipſi decreverunt, ἱέρειάν τε τὴν Λιουίαν, Ἰουλίαν τε, τὴν καὶ Αὐγούσταν ἤδη καλουμένην, ἀπέδειξαν; ſive, ut tranſpoſitis vocibus legendum arbitror, τὴν Ἰουλίαν τε: *& ſacerdotem Liviam, quæ tunc Juliæ etiam, Auguſtæque cognomenta accepit, conſtituerunt*. Sic etiam Tacitus (*d*), ubi ſingula poſt Auguſti mortem in Senatu geſta memorat, ait quod *primo Senatus die Livia in familiam Juliam, nomenque Auguſtæ adſumebatur;* alibique (*e*) dicit quod Julia *adoptione Liviorum, Juliorumque clariſſima* fuit, *cum in Liviam, & mox Juliam familiam adoptionibus tranſierit*: (*f*) quod ita tamen intelligi profectò non poteſt, ut Livia omnium prima in *Liviam* gentem adſcita fuerit, cum Maternus ejuſdem Avus in Liviam familiam adoptatus, *Livii Druſi Claudiani* nomine vocaretur. Ea vero de cauſſa in Juliam gentem *adſumpta*, atque in Juliam familiam adoptata illa dicitur, quod Suetonio (*g*) teſte Auguſtus moriens Tiberium, ac Liviam *hære-*

(a) *Vid. Faſt. Attic. ibi p.* 141. [b] *Cyriac. pag.* 15. *Murat. pag.* 221. *num.* 8.
(c) *Lib. LVI. c.*46. *pag.* 843. *Vid. Tillem. in Aug. art.* 18. *&* Gori *Colum. pag.* 23.
(d) *Annal. I. num.* 8. [e] *Lib. V. n.* 1. [f] *Lib. VI. fin.* (g) *In Aug. c.* 102.

hæredes reliquit, *eoſque nomen ſuum ferre juſſit*: qua certè phraſi, vel dicendi formula apud Romanos exprimebatur quod aliquis in novam familiam adoptionis jure inſerebatur. Hinc Cicero [*a*] de Baſilo quodam ait quod cum M. Satrium *nomen ſuum ferre voluiſſet*, *eum feciſſet hæredem*. Itaque Livia adoptionis jure non modo *Auguſta*, & *Julia*; verum etiam inſueta quadam ratione *Auguſti filia* dicebatur, ut Spanhemius (*b*) optimè demonſtravit. Hæc inſolens, ac mira prorſus nominum confuſio, ut una eademque femina Auguſti *conjux*, & *filia* diceretur perſpicuo Velleii (*c*) teſtimonio, qui iiſdem temporibus floruit, confirmari ſolet, ubi teſtatur Liviam Auguſti conjugem, & *tranſgreſſi ad Deos Sacerdotem*, *ac filiam* fuiſſe; ac nummus (*d*) etiam proferri, in quo circa Liviæ caput exaratum conſpicitur DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FILIÆ, in adverſa verò parte circa Auguſti caput reperitur DIVUS AUGUSTUS PATER, itidemque nummus alius, [*e*] in quo carpentum a mulabus tractum conſpicitur cum epigraphe S. P. Q. R. DIVÆ JULIÆ AUG. FIL., atque in adverſo DIVUS AUGUSTUS PATER: ac ne lapides etiam deſideres, Hiſpana Inſcriptio memoratur (*f*) poſita JULIÆ AUG. DIVI F. MATRI TI. CÆSARIS AUG. At hæc Inſcriptio, ut id obiter moneam, temerè prorſus affertur, cum illa Antiquariæ in Hiſpania reperta accuratius ex Farnèſianis Schedis a Muratorio (*g*) ſic exhibeatur JULIÆ AUG. DRUSI F. ſicut in alio marmore [*h*] Aquilæ in Veſtinis poſito perſpicuè legitur AUGUSTÆ JULIÆ DRUSI F., atque apud Gudium (*i*)

LIVIÆ DRUSI F.
AUGUSTI
MATRI CÆSARIS ET
DRUSI GERMANICI
SUPEREQUANI PUBLICI

ubi non PUBLICI quod exſcriptoris aut quadratarii vitio irrepſit; ſed conſueto ritu PUBLICE legendum erit: quandoquidem verò Hiſpanus ille Gruteri, ac Muratorii lapis ita deſinit

M. CORNELIUS PROCULUS PONTIFEX CÆSARUM

ipſius præſidio lapis alter Hiſpanus a Donio (*k*) prolatus corrigendus erit, in cujus fine legitur

CORNELIUS BASSUS PONTIFEX CÆSAREUM D. S. P.

Quamvis enim Clariſſimus Gorius putaverit quod ſicuti Piſis *Auguſteum* in Cenotaphiis Piſanis memoratum in Foro reperiebatur, ita quoque in ea Hiſpaniæ Urbe *Cæſareum* haberetur, vix tamen dubito, quin in Doniano quoque marmore *Cæſarum* reſcribi debeat, cum Cæſarum, & Auguſtorum Sacerdotes ſæpiſſimè memorentur, ut inferius oſtendemus.

 Itaque

(a) *Offic. Lib. III. c. 18.* [b] *Diſſer. XI. pag. 273.* (c) *Libr. II. c. 75. n. 3.* (d) *Mediob. pag. 53.* [e] *Gori Columb. pag. XXII.* (f) *Grut. pag. 234. n. 2. Vid. Saleng. To. III.* [g] *Pag. 222. n. 3.* (h) *Ibi n. 2.* [i] *Pag. 87. n. 2.* (k) *Claſ. III. n. 2.*

Itaque ex monumentis omnibus, quibus oſtendi ſolet Liviam Auguſti *Filiam* vocatam fuiſſe, ſoli nummi ſupererunt, quibus illa *Auguſti Filia* dicatur; quamvis Harduinus (*a*) lapides, ac nummos omnes, in quibus *Juliæ* nomen reperitur, non ad *Liviam*, ſed ſolum ad *Juliam* Auguſti Filiam, & Tiberii Conjugem referendos eſſe putaverit. Plurimis etiam tum nummis, tum marmoribus oſtendi poteſt quod illa poſt Auguſti Conjugis mortem promiſcuè quidem aliquando *Livia*, aliquando *Julia* vocata fuit; ſed ubique tamen *Auguſtæ* nomen obtinuit, quamvis hoc illi Conjuge *ad ſuperos tranſgreſſo* conceſſum exiſtimetur. Ego verò illud idem *Auguſtæ* nomen, ſuperſtite adhuc Auguſto a Livia uſurpatum, ſeu Liviæ conceſſum eſſe putaverim; ut proinde facilè Atheníenſium nummus in quo ΛΙΒΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ *Livia Auguſta* vocatur, ante Cæſaris Auguſti mortem, ideoque ante annum V. C. 767. cudi potuerit.

Ac initio quidem quod *Auguſtæ* nomen a Livia ſuſceptum fuerit, ubi primum Auguſto Cæſari nupta fuit ex illuſtri Plinii (*b*) loco inferri poſſe videtur cum ait *Liviæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſta Matrimonii nomen accepit*. Certè, ut Beroaldum (*c*) veterem Suetonii interpretem omittam, qui ex Plinii verbis id perſpicuò, certoque inferendum eſſe arbitratur, Harduinus ipſe Plinii locum non alio plane ſenſu intelligendum eſſe contendit; atque, ut ſenſus ipſe nitidior evadat, legendum ait *Auguſtæ Matrimonio;* quemadmodum hoc ipſum *Auguſtæ* nomen tum Octaviæ Auguſti Sorori, tum Antoniæ Auguſti ex Octavia nepti, tum cæteris etiam omnibus ad Auguſti familiam ſpectantibus *natalium jure* commune eſſe dixit. Quo ſane loco Vir ille doctiſſimus perſpicuè fallitur. Etenim, ſi *Auguſtæ* nomen Octaviæ, & Antoniæ *natalium jure* debebatur, cur Cajus Antoniæ Matri *Auguſtæ* nomen decrevit, cur Claudius Antoniam ipſam *Auguſtam*, ſimulque *Auguſti Sacerdotem* fecit, cur Cajus, & Lucius ab Auguſto adoptati numquam *Auguſti* vocantur, ac Tiberius ipſe ante initum Imperium numquam *Auguſti* nomen accepit? Sed, ut ad Plinium ipſum revertar, mihi ſanè ex ejus verbis nihil propemodum exſculpi poſſe videtur, ut *Auguſtæ* nomen a Livia initi cum Auguſto conjugii tempore uſurpatum dicatur, cum ambiguus ille Plinii textus optimè intelligi, ac exponi poſſit, quamvis etiam *Auguſtæ* nomen defuncto ſolum Conjuge Liviæ conceſſum dicatur. Etenim ſemper *Auguſtæ* nomen Matrimonio accepiſſe diceetur, cum ejuſmodi nomen ipſi a Marito, ac Matrimonii jure, ſupremiſque Mariti tabulis conceſſum fuerit. Quin etiam perplexum illum Plinii textum Harduini pace ita potius ſanandum, ac refingendum eſſe putaverim, ut in ipſo non *Auguſta*, ſive, ut Harduinus exiſtimat, *Auguſtæ Matrimonii*, ſed *Auguſti Mariti* legatur, ideoque exprimatur quod *Livia Druſilla Auguſti Mariti nomen accepit*, ac proinde in poſte-

rum

(a) *Hiſt. Aug. ad An. Chr.* 14. (b) *Libr. XV. ſect.* 40. (c) *Ad c.* 101.

rum *Julia*, aut *Auguſta* vocata fuit. Ita nimirum non modo clarior in Plinii textu, longèque concinnior ſenſus haberetur; verum etiam Plinius ipſe Suetonio, quem exſcribere ſubinde ille ſolet, accuratiſſimè reſponderet, cum Suetonius (*a*) aſſerat ab Auguſto hæredes relictos fuiſſe Tiberium, ac Liviam, *quos nomen ſuum ferre juſſit*. Ita quoque Harduinum ipſum in altero Plinii loco explicando falli putaverim, ubi Scriptor ille de pumilionibus differens ait (*b*) quod talis Auguſto *præſide*, hoc eſt Romanum Imperium moderante, *fuit Andromeda liberta Juliæ Auguſtæ*, idque de Julia Auguſti Filia intelligendum eſſe arbitratur, quæ prius Marcello, mox Agrippæ, tamdemque anno V. C. 744. Tiberio Cæſari nupta fuit. Etenim, ut omittam Liviam ipſam alio quoque *Juliæ Auguſtæ* nomine vocatam fuiſſe, ideoque commodè Plinii verba ad Liviam referri poſſe, Julia Auguſti Filia, ac Tiberii uxor numquam *Auguſtæ* nomen apud Scriptores obtinuit, cum præſertim ab illo repudiata, ſemper extorris, Conjugi, Patrique inviſa repente poſt Patris Auguſti mortem, Tiberii Conjugis juſſu fame necata fuerit. Itaque non ex ambiguis illis Plinii teſtimoniis, ſed clarioribus monimentis aliis oſtendi debet quod Livia ſuperſtite adhuc Auguſto Conjuge *Auguſtæ* nomine donata fuit.

Quænam verò clariora, ſive certiora teſtimonia eſſe poterunt, quam quæ in nummis, vetuſtiſque lapidibus habeantur? Atque, ut a nummis exordiar, apud Vaillantium (*c*) Theſſalonicenſium nummus occurrit, in quo circa Liviæ caput legitur ΣΕΒΑΣΤΗ, atque in adverſo Tiberii adhuc Cæſaris, & nondum Auguſti caput cum epigraphe ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤ. ΥΙΟΣ. Ita quoque Vaillantius ipſe (*d*) Magnetum nummum exhibet, in quo jugata Auguſti, & Liviæ capita conſpiciuntur cum epigraphe ΣΕΒΑΣΤΟΙ, in adverſa nummi facie *Caii & Lucii* Cæſarum capita reperiuntur cum vocibus ΥΙΟΙ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Cum nummus ante Caii, & Lucii mortem, ideoque ante annum V. C. 755. cuſus fuerit, quis hic apte non videat quod non Auguſto ſolum, qui Cæſares illos adoptaverat, ſed Liviæ quoque *Auguſtæ* nomen ſemel, iterumque conceditur. Ita nummus alius (*e*) jugata Auguſti, & Liviæ capita exhibet cum epigraphe ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ *Cæſar Auguſtus, & Julia Auguſta*, & in adverſa parte Germanici, ac Tiberii capita oppoſita eorum nominibus decorata. Itaque, cum nummus ante Auguſti mortem, cum nempe Auguſtus Tiberium adoptavit Anno V. C. 755., ejuſque inſtar Germanicus a Tiberio adoptatus eſſet, percuſſus fuerit, dubitari non poteſt, quin Livia ante Auguſti mortem, *Auguſtæ* nomen acceperit. Ita prorſus in Smyrnæorum nummo, (*f*

in quo

[a] *In Aug. c.* 101. (b) *Libr. VII. ſect.* 16. (c) *Pag.* 6.
(d) *Pag.* 4. [e] *Geſn. Tab. XXXI. n.* 13.
(f) *Geſn. Tab. XXXI. n.* 18.

in quo jugata Liviæ, & Auguſti capita obſervantur, legitur ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ *Smyrnæi Auguſtis*. In Pergamenorum nummo circa Auguſti, ſimulque Liviæ jugatum caput legitur ΣΕΒΑΣΤΟΙ *Auguſti*, longèque clarius in alio Pergamenorum nummo circa eadem jugata capita legitur ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΗ *Auguſtus Auguſta;* in adverſo reperitur ΠΕΡΓΑΜΕΝΟΙ ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ *Pergameni Deum Auguſtum* honorant; ibique Auguſtus paludatus in tetraſtylo templo conſpicitur, ut in ſuperiori quoque nummo obſervatur. Cum igitur Auguſtus Tacito, (*a*) ac Dione (*b*) teſtibus, biennio poſt Actiacam victoriam, hoc eſt Anno V. C. 725. Aſianis, ac Bythiniis, conceſſerit ut Pergami, & Nicomediæ ſibi *templum, ac Sacerdotes* inſtituerent, quemadmodum Suetonius [*c*] ait quod *pleræque Provinciæ templum ipſi vivo dicarunt*, ſi ii nummi repente poſt Auguſti nomen ipſi conceſſum, hoc eſt annum V. C. 727. cuſi dicantur, manifeſtiſſime apparet quod una quoque Liviæ Conjugi *Auguſtæ* nomen tributum fuit. Denique, ne exemplis aliis hic immorer, in Sidoniorum nummo (*d*) jugata Auguſti, & Liviæ capita conſpiciuntur cum epigraphe ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΗ ΘΕΑ *Auguſtus Deus, Auguſta Dea*, quem Auguſti adhuc viventis ætate cuſum oſtendit impia conſuetudo, qua viventes etiam Reges, atque Imperatores *Dei* nomine vocari cœperant, (*e*) ut de Auguſto ipſo teſtatur Appianus (*f*) *αὐτὸν αἱ πόλεις τοῖς σφετέροις θεοῖς συνίδρευον ipſum civitates cum ſuis Diis collocarunt*. Itaque plane non video cur Muratorius (*g*) veterem lapidem Lampſaci poſitum, in quo legitur ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΕΡΑ *Juliam Auguſtam Veſtam novam Cererem* non ad Liviam noſtram, ſed potius ad Juliam Domnam ideo referendum eſſe conjecit, quod in illo ΙΕΡΕΥΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ *Sacerdos Auguſtorum* nominetur. Siquidem in ſuperioribus nummis Auguſto, & Liviæ illud idem ΣΕΒΑΣΤΩΝ *Auguſtorum* nomen tributum conſpicitur, eidemque Liviæ *Cereris* nomen conceſſum alibi occurrit, ut mox oſtendetur. Quid ergo jam Tacito, Suetonio, Dioni reponemus, qui Liviæ tum *Juliæ* nomen, tum *Auguſtæ* titulum poſt Auguſti mortem, primoque Senatus die a Patribus conceſſum dixere? Non aliud opinor, niſi quod ejuſmodi Patrum decreto, ſive ſupremis Auguſti tabulis illud idem *Auguſtæ* nomen, quod jampridem Liviæ, aut Auguſti Conjugis beneficio, aut privato gentium conſenſu tributum fuerat, publica demum Senatus authoritate confirmatum fuit. Ita ſanè Auguſtus ipſe anno V. C. 766. teſtamento juſſiſſe dicitur, ut Tiberius *nomen ſuum ferret;* quamvis illud

(a) *Libr. 2. c. 10.* (b) *Libr. LI. c. 20. pag. 652.* (c) *In Aug. c. 59.*
(d) *Spanh. diſſ. III. §. 3.* (e) *Vid. Span. diſſ. VII. pag. 435.*
[f] *Bel. Civ. Libr. V.* (g) *Pag. 249. n. 4.*

illud idem *Julii* nomen a Tiberio anno V. C. 755. aſſumptum fuerit, cum ab Auguſto lege Curiata (*a*) in foro adoptatus in *Juliam* gentem tranſivit; (*b*) licet rariſſime Tiberius ipſe in nummis *Julii* nomine vocetur, & *Auguſti* nomen Suetonio teſte numquam, niſi cum Regibus ſcriberet, uſurpaverit. Addi etiam poteſt quod Dionis, ſimulque Xiphilini verba, quibus nummorum interpretes innituntur, Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην, obſcurius innuere fortaſſe poterunt quod Livia antea quoque *Auguſtæ* nomine donabatur; cum præſertim Auguſti verba *nomen ſuum ferre juſſit*, non de *Auguſti* titulo, ſed de vero *Julii* nomine commodius intelligantur. Denique ingenuè fatendum erit Suetonium, cæteroſque Scriptores perſpicuo, certoque nummorum teſtimonio ſubinde refelli. Ita Suetonius (*c*) aſſerit quod Auguſtus *templa in nulla provincia, niſi communi ſuo, Romæque nomine recepit*; cum tamen Pergami, alibique ipſi ſoli dicata fuerint, ut nummorum ope erudimur; ideoque Tacitus (*d*) in Senatu de Auguſto dictum memorat: *nihil Deorum honoribus relictum cum ſe templis, & effigie numinum per flamines, & Sacerdotes coli vellet*; quodque mirari quis poſſit, Suetonius (*e*) ipſe alibi dicat quod *pleræque provinciæ templum ipſi vivo dicarunt*; quæ varia, ac diſſidentia prorſus hiſtoricorum verba componi ſane non poterunt, niſi dicatur honores illos inſcio, ac invito Cæſari tributos fuiſſe, aut veriſimilius immortali Spanhemio concedatur, aliquando veram hiſtoriæ lucem non ex Scriptoribus, ſed ex nummis ipſis veluti certioribus monumentis petendam eſſe, quæ Scriptores alicubi deceptos eſſe demonſtrant. Sic, ut exemplum aliud accedat, teſtatur Dio (*f*) Claudium vetuiſſe ne ſibi, ac Meſſalinæ Conjugi *Auguſtæ* nomen daretur, ſed, ut plures profecto nummos, ac lapides omittam, in quibus *Auguſti* nomen Claudio tribuitur, Meſſalina ipſa in pluribus Latinis, Grecíſque nummis non modo ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, (*g*) verum etiam ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ (*h*) vocatur, ac in Nicænorum nummo ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΝΕΑ ΗΡΑ (*i*) *Meſſalina Auguſta Nova Juno*. Tanta nimirum Urbium ſtoliditas, & aſſentatio fuit, ut nequiſſimis etiam fœminis tum nummos, tum *Auguſtæ* nomen, tum Divinos etiam honores tribuerint. Ita prorſus, licet Auguſtus Juliam filiam, quam Tiberio deſponderat, ſuamque *vomicam*, & *carcinoma* appellare conſueverat, in Pandatariam Inſulam relegaverat, flagitiis inquinatam fame occidere meditaretur, Philippus tamen Tetrarcha anno V. C. 760 Bethſaida Urbem novis ædificiis auctam ἰουλίᾳ θυγατρὶ τῇ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐκάλεσεν *Juliæ Cæſaris Filiæ cognominem vocavit*, (*k*) quemadmodum Herodes Urbem Betharamphtha ἀπὸ τοῦ Αὐτοκράτορος γυναικὸς Ἰουλιάδα: *ab Imperatoris uxo-*

(a) *Vid. C. & l. de defunctis.* (b) *Sueton. c. 65. & in Tiber. c. 15.* [c] *Cap. 52.* (d) *Annal. I.* [e] *In Aug. c. 59.* [f] *Libr. LX c. 5. p. 943.* (g) *Theup. p. 843.* [h] *Ibi p. 844.* [i] *Geſn. Tab. XLIII. n. 31. & Vaill. pag. 14.* (k) *Joſeph. Antiqu. Libr. XVIII. c. 2.*

Uxore Juliadem nominavit: quod illuſtri ſane argumento eſſe poterit, Liviam ipſam longe ante Conjugis Auguſti mortem, *Juliæ* nomine vocatam eſſe, quod in nummis etiam ſuperius expoſitis obſervari facilè poterit: ut proinde Joſephus Liviam ipſam vivente adhuc Conjuge, ſemper non alio, quam *Juliæ* nomine deſignarit.

Interim vero, dum nummos in *Liviæ Auguſtæ*, vel *Deæ Liviæ* honorem cuſos hic memoro, quid prohibet, ne duos etiam eximios ſanè nummos hic proferam, quos hactenus ab Interpretibus vel obſcurius expreſſos, vel inexplicatos eſſe conſpicio? Vaillantius, (*a*) Spanhemius, (*b*) aliique plures (*c*) nummum exhibent, in cujus antica facie mitratum Liviæ caput conſpicitur cum epigraphe ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ ΛΑΡΙΝΟΣ; in adverſa vero Juliæ caput cum vocibus ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. Interpretes omnes tum Magiſtratus, tum Urbis nomen incognitum eſſe putarunt; niſi quod Haymus (*d*) cum optime, feliciterque obſervaſſet non ΛΑΡΙΝΟΣ, ſed ΧΑΡΙΝΟΣ exaratum eſſe, nummum ipſum ad eandem urbem illam referendum eſſe conjecit, in qua Cæſaris Auguſti nummus cuſus fuit, in quo (*e*) laureatum Auguſti caput conſpicitur cum voce ΣΕΒΑΣΤΟΣ, atque in adverſo templum octaſtylum cum epigraphe ΧΑΡΙΝΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ, quam tamen Urbem, vel Charini Patriam ſibi incompertam eſſe fatetur. Ego vero, niſi plurimum fortaſſe fallar, utrumque ex nummis illis ad Pergamenos referendum eſſe putaverim. Siquidem in alio Pergamenorum nummo apud Patinum, (*f*) & Vaillantium (*g*) in adverſa parte templum diſtylum reperitur cum epigraphe ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΕΦΑΛΙΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ. Itaque, cum conſtet, ut antea vidimus, quod Pergami templum Auguſto dicatum fuit, cum eadem templi facies utrobique occurrat, cum una eademque vox ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ, quæ nuſquam alibi memoratur, niſi in eadem Cariæ Provincia in ejuſdem Auguſti nummo, in quo legitur ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΥΒΡΕΟΥ cum eadem quoque formula ΧΑΡΙΝΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ, ΚΕΦΑΛΙΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ habeatur, quis non intelligat, utrumque ex nummis illis, non alteri veriſimilius, quam Pergamenorum Urbi tribuendum eſſe, cujus Scriba Charinus tum Auguſtum, tum ejus conjugem Liviam, tum etiam Juliam, quæ tunc Auguſto Patri cariſſima fuerat, honoravit? Nec quiſpiam obmoveat, quod in pleriſque, atque omnibus fere Pergamenorum nummis, non *Scribæ*, ſed *Strategi*, ſive *Prætoris* nomen occurrat. Cum enim ex indubio Pergamenorum nummo, cui Ce-

[a] *Pag.* 4. (b) *Differt. VII. pag.* 435. (c) *Muſ. Theup. pag.* 836.
(d) *Tom. II. pag.* 176. (e) *Ibi pag.* 177. (f) *Pag.* 53.
(g) *Pag.* 5.

Cephalionis Scribæ nomen inſcribitur, perſpicuum fiat, quod Auguſti ætate Pergami *Scribæ* nomen nummis inſculpi conſuevit, fieri profecto poteſt, ut initio quidem Pergameni *Scribæ*, deinde vero *Prætoris* nomen nummis inſcriberent; quemadmodum in aliis legitur ΕΠΙ ΓΕΜΙΝΙΟΥ ΑΙΤΑΛΟΥ, atque in alio Α. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΑΡΧΕΛΑΟΣ, ſolum nempe Magiſtratus nomen, diſſimulato dignitatis titulo, exprimitur: prorſus ut in ſuperiori Liviæ nummo ſola ΧΑΡΙΝΟΣ vox reperitur. Quid vero miremur in hoc Pergamenorum nummo Liviam ipſam inſano adulationis furore *Junonem* vocari, cum a Romanis etiam hoc eodem *Junonis* titulo decoraretur? Certe Ovidius [*a*] de Livia ipſa loquens ait:

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

atque in veteri lapide Tiberio adhuc Cæſare, ideoque ante Auguſti mortem, poſito habetur (*b*)

GENIO AUGUSTI, ET TI. CAESARIS
JUNONIS LIVIAE MYSTES LI.

qui ſane lapis ad ea Auguſti tempora referri debet, quibus Claudius Cæſar Aviæ ſuæ Liviæ jam defunctæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtæ ſimilem decernendum curavit; (*c*) ideoque *Junonis* habitu conſecrata illa fuit, ut Prudentius (*d*) etiam teſtatur:

Adjecere ſacrum, fieret quo Livia Juno.

Aliquando tamen Livia ipſa adhuc vivens non *Juno*, ſed *Ceres* vocata fuit, ut inſcriptio Melitæ poſita teſtatur:

CERERI JULIAE AUGUSTAE
DIVI AUGUSTI MATRI
T. CAESARIS AUGUSTI

ac ſæpius in nummo (*e*) etiam cum ſpicea corona obſervatur. Hinc ejuſdem Liviæ nummum explicandum, & corrigendum exiſtimo, in quo circa nudum Auguſti caput habetur (*f*) ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, & circa Liviæ caput legitur ΜΗΤΗΡ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Etenim, ſi nummus ipſe cum Tiberii vultu inſcriptionem ipſam conjungeret, optime ΜΗΤΗΡ legi poſſet, ut exprimatur Juliam, aut Liviam Tiberii Auguſti matrem fuiſſe; cum vero perſpicue non Tiberii, ſed Auguſti vultum exhibeat, legendum aſſero ΔΗΜΗΤΗΡ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ; ſicuti Sponius (*g*) veterem lapidem Megaris poſitum

---

(a) *De Ponto III. Eleg. I. ver. 145. & 117.* (b) *Gori Columb. pag. XXIII.*
[c] *Suet. in Claud. c. 11., & Dio. Lib. LX.* (d) *Adv. Sym. Lib. I. ver. 250.*
(e) *Gualt. p. 52. num. 349.* (f) *Vaill. p. 7.*
(g) *Itiner. Tom. III. pag. 383.*

tum exſcripſit, in quo legitur CABINAN ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΕΡΑ. Cæterum, dum honores Liviæ a Claudio decretos, & Junonis, vel Cereris nomen ab illa uſurpatum hic memoro, obiter etiam vitiatum Suetonii locum reſtituere enitar. Aſſerit ille quod ſicuti Claudius Aviæ Liviæ honores decrevit, ita quoque Antoniæ Matri carpentum, quo per Circum duceretur, & cognomen *Auguſtæ* ab Avia recuſatum conceſſit. Quis *Auguſtæ* nomen a Claudii Avia, hoc eſt a Livia, honorum, atque imperii cupidiſſima, recuſatum exiſtimet; cum præſertim nomen illud in Liviæ nummis, ac marmoreis etiam titulis ſæpius occurrat? Harduinus in Suetonii textu legendum exiſtimat *a viva recuſatum;* eamque lectionem ab Interpretibus aliis propoſitam eſſe diſſimulat, a quibus Torrentius recedit, aſſerens in Suetonii textu, non *ab Avia*, ſed *a Livia* legendum eſſe. Addit etiam Harduinus hoc *Auguſtæ* nomen ab Antonia viva recuſatum ipſi *natalium jure* conveniſſe, quod Octaviæ filia, ideoque Auguſti neptis illa foret. Ego vero levi, facilique mutatione legendum eſſe putaverim, *ab Octavia*. Ea nimirum, quamvis Auguſti Soror, ac mire ab ipſo, univerſoque populo dilecta foret, eximia tamen modeſtia fuit, ideoque facile *Auguſtæ* nomen recuſavit; quemadmodum teſtatur Dio, (*a*) quod τὰ ψηφισθέντα αὐτῇ ὁ πάντα Αὔγουστος ἐδέξατο; *non omnia, quæ in ejus honorem decreta fuerunt, Auguſtus admiſit.* Cum tamen Suetonius (*b*) aſſerat, quod Cajus *Antoniæ Aviæ quidquid umquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno Senatus Conſulto congeſſit*, longeque clarius Dio (*c*) teſtetur, quod Cajus *Aviam Antoniam, Auguſtam, & Sacerdotem Auguſti fecit*, hoc illuſtri teſtimonio *Auguſtæ* nomen Antoniæ vere conceſſum oſtendi putaverim, quod illa facile vivens recuſavit, propterea quod Cajo infenſa foret; ideoque cum ipſum verbis offendiſſet, voluntariam mortem obire coacta fuit. Divinos etiam honores eidem Antoniæ ſub eodem Claudio conceſſos fuiſſe ex Athenienſi marmore intelligo, in quo Tiberius Claudius Ἀρχιερεὺς Ἀντωνίας Σεβαστῆς (*d*) nominatur. Ceterum a Livia ipſa non *Auguſtæ* ſolum, ſed etiam *Matris Patriæ* nomen receptum fuiſſe, nummus [*e*] oſtendit, in cujus antica parte Auguſti caput cum epigraphe conſpicitur:

CAESAR AUGUST. PONT. MAX. TR. P.

in adverſa, figura muliebris capite velato ſedens cum titulo:

AUGUSTAE MATRI PATRIAE

qui ſane nummus, ut optime Occo conjecerat, vivente Auguſto cuſus videtur; cum Dione teſte Liviam nonnulli *Matrem Patriæ* cognominaverunt; Tiberius autem Auguſti Succeſſor ex Suetonio *non parentem Pa-*

[a] *Libr. LIX.* (b) *In Cajo c. 15.* [c] *Ibi.* (d) *Cyriac. Epig. pag. 13.*
[e] *Vaill. Tom. I. Mediob. ad An. V. C. 741.*

Patriæ appellari, non ullum inſignem honorem recipere publice paſſus eſt. Similis fere titulus, idemque *Matris Patriæ* nomen, Tiberii Cæſaris ætate, Livia conſervavit. Etenim Tiberii nummus (*a*) occurrit, in cujus antica parte circa Tiberii caput legitur IMP. TI. CAES. AUG. COS. III., in poſtica vero conſpicitur Mulier velata ſedens, quæ dextra pomum, ſiniſtra haſtam tenet cum epigraphe AUGUSTA MATER PATRIAE. Itaque, cum Tiberius Anno U. C. 770. *tertium*, anno 773. *quartum* Conſulatum geſſerit, nummus ille ante hunc annum, ideoque integro fere decennio ante Liviæ mortem, cuſus fuit; quemadmodum, cum Tiberius XXIV. Trib. Pot. gereret, hoc eſt Anno 775. S. P. Q. R. JULIAE AUGUST. carpentum decrevit. (*b*) Hinc Suetonius perſpicue fallitur, cum ait, (*c*), quod Tiberius *non parentem Patriæ appellari, non ullum inſignem honorem recipere publicè paſſus eſt:* niſi forte cui libeat, quod initio Tiberius ſeverior in Matrem fuerit; deinde vero a Livia miræ ſagacitatis, ac prudentiæ fęmina, quam proinde Cajus Caligula ejus pronepos *Ulyſſem ſtolatum* vocavit, (*d*) delinitus titulos, ac honores omnes illi permiſerit; cum præſertim multa Patrum, & in Auguſtam fuiſſet *adulatio, & alii parentem, alii Matrem Patriæ appellandam cenſerent.* (*e*) Hactenus, ut opinor, ex plurimis monimentis iſtis apparet, quod Livia Druſi Filia, & Auguſti Conjux, ſuperſtite adhuc Auguſto conjuge, *Auguſtæ* nomine donata fuit; atque ubi Cæſari hoc nomen ex Munacii Planci ſententia in Senatu conceſſum fuit, *Auguſtæ* titulus Uxori quoque Liviæ tribui cæpit.

Alter vero Liviæ nummus, qui mihi nunc obiter explicandus occurrit, a Vaillantio, (*f*) Spanhemio, [*g*] Harduino, (*h*) aliiſque plurimis memoratur. In principe ejus parte Auguſti caput conſpicitur cum epigraphe ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ; in altero vero Liviæ caput cum vocibus ΑΤΤΑΛΟΥ ΣΥΝΑΡΧΙΑ. Nummum ipſum ad Antiochenos Cariæ referendum eſſe cum Morellio (*i*) omnes exiſtimant; in explicanda tamen epigraphe ΑΤΤΑΛΟΥ ΣΥΝΑΡΧΙΑ interpretes illi mire diſſentiunt. Harduinus enim exiſtimat aliquando Cæſares, ac Imperatores ipſos ſummum in urbibus Magiſtratum geſſiſſe; ideoque civem, qui tunc Urbi præerat, non *Archontem*, ſed συνάρχοντα, Cæſaris nempe ſocium, atque in Magiſtratu collegam ſeipſum vocaſſe. Spanhemius tamen hoc liberius conjecturæ genus accurrate refellit, quod vix, ac ne vix quidem hoc Archontis munere perfuncti ſint Cæſares, nec facile concedi poſſit, quod civis ille ſe Imperatoris Collegam prædicaverit. Itaque, cum ab Ariſtotele συναρχίας συνῆσαι vocentur Collegia, vel Magiſtratus, qui ſimul cogi, vel conveni-

[a] *Muſ. Theup. pag. 664.* (b) *Mediob. pag. 53.* [c] *In Tiber. c. 50.*
[d] *Tacit. Libr. 1. n. 14.* (e) *Suet. in Cajo c. 23.* (f) *Pag. 6.*
[g] *Diſſer. IX. p. 695.* (h) *Num. Pop. in Αντιοχέων.*
[i] *Specim. rei. Numm. pag. 207.*

venire ſolent, (a) Spanhemius ipſe putavit in nummis illis Collegium ipſum συναρχίαν vocari; ideoque, cum Archontes, vel cives illi in Collegium cooptati forent, tuum ſuum, tum Collegii, cui inſcripti fuerant, nomen expreſſere. Vaillantius vero συναρχίας nomine titulum, aut dignitatem aliquam indicari arbitratur, ideoque inter titulos nummis impreſſos ab illo recenſitos etiam Συναρχῆς memoratur, atque in explicando Liviæ nummo obſcurior ab illo redditur *Attali Synarchia*.

Quamvis tamen doctiſſimi hi viri in varias hujuſmodi ſententias abierint, ac fęlices ſane interpretandi nummi rationes excogitaverint; non plurimum fortaſſe ego fallar, ſi novam aliam, longeque, ut opinor, clariorem, ſimplicioremque explicandi rationem proferri a me poſſe putaverim. Itaque plurimis nummorum exemplis exploratum eſſe conſpicio, quod in Urbium nummis, non unius, ſed interdum duplicis Magiſtratus nomen exprimitur, quorum unum fortaſſe *Prætor*, alter *Sacerdos*, vel *Scriba*; alter publicus Civitatis, alter Auguſtorum Sacerdos eſſet. Sic, ut exemplis aliquot id oſtendatur, in Cæſarienſium nummo (*b*) legitur ΠΟΛΛΙΩΝ ΚΟΥΓΕΔΙΟΥ in averſa facie ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ. In Smynæorum nummo (*c*) reperitur ΕΠΙ ΦΙΛΙΣΤΟΥ ΕΙΚΑΔΙΟΣ. In Laodicenorum Cariæ nummo (*d*) ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ ΣΩΣΙΜΟΣ: in alio ΠΟΛΕΜΩΝ ΦΙΛΟΚΡΑΤΩΡ. In nummo Pergamenorum ΜΟΥΣΑΙΟΣ ΓΑΜΑΛΙΑΣ. Ex hujuſmodi vero Magiſtratibus, quorum nomina nummis inſcriberentur, fieri profecto poterat, ut alter *annuus*, alter *perpetuus*, vel certe diuturnior eſſet, ut in Pergamenorum nummo (*e*) legitur ΑΥΡ. ΚΕΛ. ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ.

In hac ſane hypotheſi perſpicuè apparet, quod alterius quidem nomen mutari, alterius vero diuturnius conſervari deberet. Sic in Acmoneorum nummo (*f*) legitur ΕΠΙ CΕΡΟΥΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ, atque in Byzantino (*g*) ΕΠΙ ΑΙΜ. ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ. In Byzantinis aliis (*h*) ΕΠΙ ΑΥΡ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟ Β ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΑΣ; & ΕΠΙ ΣΤ. ΑΙΛΠΙΑΝΟ Α ΔΙΟΓΕΝΥ ΤΟ. Β. In Smyrnæo (*i*) ΕΠΙ ΛΟΥ. ΘΑΛ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΥΩΝΟΣ, & ΕΠΙ ΑΟΥΙΟΛΑ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ. Quid ergo prohibet, ne apud Antiochenos etiam in nummis duorum Civium nomina inſculperentur, quorum mu-

(a) *Politic. IV. c.* 13. (b) *Vaill. p.* 4. (c) *Haym. Tom. II. p.* 179. (d) *Vaill. p.* 5. (e) *Vaill. pag.* 73. [f] *Haym. Tom. II. pag.* 189. (g) *Vaill. p.* 15. *& Muſ. Theup. pag.* 1021. (h) *Theup. p.* 807. *&* 1267. (i) *Vaill. p.* 11.

munus annuus, alter vero fortaſſe Sacerdos perpetuus, vel ſaltem diuturnior eſſet; ideoque utriuſque nomen ita inſculptum foret, ut exprimeretur, ipſorum unum annuo Magiſtratu ſuo functum eſſe, interim dum alius perpetuò ſuo fruebatur? Itaque in hoc illuſtri Antiochenorum nummo legendum exiſtimo ΑΤΤΑΛΟΥ ΣΥΝΑΡΧΙΑ: quod nempe *Attalus* una cum *Archia*, hoc eſt Archiæ tempore, ſuo munere fungebatur. (*) Id perſpicuè, certoque ex aliis Antiochenorum ipſorum nummis oſtendi poteſt, in quibus legitur ΠΑΙΩΝΙΟΥ ΣΥΝΑΡΧΙΑ; itemque in Claudii nummo ΜΥΩΝΟΣ ΣΥΝΑΡΧΙΑ: quibus omnibus invicem collatis apparet, quod, ſi unus idemque *Archias* memoratur, ille triginta fere annorum ſpatio, vel Magiſtratum, vel potius Sacerdotium obtinuit; eoque tempore Attalus, Paeonius, Myon annuum *Scribæ*, *Prætoris*, vel *Archontis* munus obivit.

Quamvis autem hæc civium, vel Magiſtratuum Societas in nummis aliis, hac ipſa voce σὺν expreſſa minime occurrat, in marmoribus tamen hæc aliquando uſurpatur. Ita in Cretenſi marmore apud Chiſhullum (*a*) Ε'πὶ Κόσμων σὺν Ε'νίπαντι Ε'πὶ Κόσμων περὶ Φιλόμβροτον (*b*); atque in Apterçorum Pſephiſmate adhuc inedito, Ε'πὶ Βερθίω, atque in celeberrimo Spartano Marmore habetur (*c*) Ε'πὶ Εφόρων σὺν Φοιβοτελεῖ *ſub Ephoris cum Phębotcle, Magiſtratu fungentibus*. Quod ſi rem hic acu tetigerim, tum *Synarches*, tum *Synarchia* prorſus expungi, ſive refelli debebit; nitideque Magiſtratuum Attali, & Archiæ nomen haberi, qui apud Antiochenos Liviæ, & Auguſto memoratos nummos procuderint.

(*) Dum extremam hujus Epistolæ partem edimus, monemur, eodem fere tempore, quo Brixiæ egregius Mazzuchellius, inclytum Corsinium nostrum, Pisis Apoplesi repente ereptum. Eheu Litteræ afflictæ! O Amicos incomparabiles! O Annum vere calamitosum, et pessimum!

(a) *Antiqu. Aſiat. pag.* 129. [b] *Pag.* 137.
(c) *Grut. pag.* 216.

SPECIAL 93-B
3694
bound-with
93-B3697
93-B3699
93-B3700
THE GETTY CENTER
LIBRARY

Complete